



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 42. Papa in Patrum Senatu de cunctis Orationibus questus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

Sint in Pontificis, Sedisque Apostolicæ Sæcul. XVI.  
 commodum ea, quæ odium parerent, A.C. 1562.  
 atque alterutrius partis animos abalie-  
 nare possent, ipso auctore decerni, cum  
 longe præstabilius esset, circa continua-  
 tionem, & residentiam decernendi li-  
 bertatem relinquere. His verbis Pon-  
 tifex permotus deinceps ad consilia ma-  
 gis moderata animum adjecit. (\*)

§. XLII.

*Papa in Patrum Senatu de cunctis  
 Oratoribus questus.*

Nec tamen sibi temperare poterat  
 Pontifex, quin de cunctis Oratori-  
 bus quereretur, ac quidem primo de  
 Gallis repetebat, quod Lansacus in  
 postulatis suis videretur potius Orator  
 Hugonotarum, cum Patres oraret, ut  
 Regina Angliæ, Helveti Protestantes,  
 Duces

(\*) Calvinistis, cum eorum potentia adeo  
 jam excrevisset, ut ipse Rex, & Reginæ  
 haud amplius in Regno securi essent, semper  
 liberum fuisset, Genevam, atque in Italiam  
 transmigrare; Regii autem Sanguinis Princi-  
 pes, qui Calvinistarum sectam profitebantur,  
 tum nequaquam e Regno exire, sed illud sibi  
 vendicare moliebantur, unde ad frangendam  
 eorum potentiam aliorum Principum, & præ-  
 cipue Pontificis opem implorare, necessitas  
 suadebat.

**Sæcul. XVI.**A.C. 1562.**Sarp. p. 212.**

Duces Saxonie, & Würtembergæ expectentur in Concilio, qui tamen pro hostibus, ac perduellibus pridem denuntiati fuere, neque aliud intendunt, quam ut Synodum corruptant, & Hugonotarum opinionibus imbuant: „ego „autem, inquiebat Papa, curabo, ut in „fide Catholica Patres persistant, ne „que deest mihi etiam vim, si necesse „foret, adhibendi facultas: insuper hic „idem Orator unacum Sociis suis patrocinatur nonnullis, qui auctoritatem „concilii supra Papam tuentur, quæ „opinio, cum hæretica sit, ejus quoque fautores esse hæreticos, quibus vis pœnis, & suppliciis castigandos constat: præterea iidem Oratores instar Hugonottarum vivunt, neque Sanctissimo Sacramento debitam reverentiam exhibit: Lansacus quoque in mensa coram multis, quos invitaverat, Præsulibus dixit, tot Episcopos e Galliis, & Germania ad Synodum venturos, ut Idolum Romanum sint profligaturi. (\*)

De

(\*) Hæc Continuator de verbo ex Sarpi descripsit, non sine nominis d'ecore, cum sine ullo selectu, crisi, ac veritatis inquisitione ea, quæ ab scenico, eoquo proscripto, ac maxime suspecto Auctore prolata viderat, incurius suæ historiæ cum veritatis dispendio inserere non dubitarit.

De Dandalo, qui unus ex Venetis Sæcul. XV.  
Legatis erat, pariter querebatur, se-  
que a Senatu, ut injurias sarciretur,  
petitum asserebat. Cardinales quo-  
que Mantuanum, Seripandum, & Osium  
Warmiensem purpura indignos ajebat,  
ut vero suam indignationem adversus  
Mantuanum, qui se Residentiæ caus-  
sam decisurum, licet haud jussus pro-  
miserat, luculentius exereret, nullas  
amplius literas ad illum miserat, sed  
cunctas, aliaque negotia expedienda  
Simonettæ Cardinali commiserat: nec  
benignius ceteros, quos sibi adversos  
crediderat, Prælatos habebat, inter  
quos Gonzaga Cardinalis Mantuani  
Nepos a Congregatione Romæ pro Sy-  
nodi negotiis erecta excludebatur. (\*)

## §. XLIII.

(\*) Hæc rursus Continuator ex suo Sar-  
pio defloravit, an autem Pontificis querelæ  
non satis æquæ fuerint, atque ad eas ex ipfis  
verbis, ac Oratorum sermonibus, agendique  
ratione ansa fuerit data, sub judice lis fit, id  
certum constat, quod Pontifex ea falso Ora-  
toribus imponendi, aut pro arbitrio fingendi  
nulla ratione duci potuerit, qui ardentissimo  
studio, ac paterno prorsus affectu hosce Ora-  
tores semper conveniebat, atque ad Synodum  
venire sollicitabat, & indignas quorundam ex-  
probrationes mansuete dissimulabat.